



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Prudentia Et Cæteris In Confessario requisitis ad ritè
fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda,
Tractatvs**

Regnault, Valère

Lvgdvni, 1611

Capvt I. De prudentia Confessarij in audienda confessione pœnitentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41341



CAPVT PRIMVM.

De prudentia Confessarij in audienda confessione Pœnitentis.

S V M M A R I V M.

1. *Animi preparatio, cum qua debet Confessarius ad tanti momenti opus accedere, quòdque tam sibi, quàm Pœnitenti gratiam Spiritus sancti implorare debeat.*
2. *De seueritate cum suauitate miscenda, in audienda confessione.*
3. *Accendere debet Confessarius in se desiderium salutis animarum, & quo modo.*
4. *Curare debet, ut Pœnitens decenter se habeat.*
5. *Cunctantem in aggrediendo confessionem monere debet, ut ea quo magis conscientiam suam grauant, quàm primum proponat, ad manifestationem status anime sue.*
6. *Vitandus inter confitendum mutuus Confessarij, & Pœnitentis aspectus.*
7. *Vitandum etiam signum externum interioris abominationis peccatorum qua in confessione audiuntur.*
8. *Ratio agendi cum Pœnitente dicente sua peccata in confessione.*
9. *De supplendis defectibus illius.*
10. *Modus perducendi illum ad omnia peccata sua detegenda, cum existimatur aliqua celare.*
11. *Attendendum, an aliquid dicat unde intelligatur aliquas pracedentes confessiones fecisse inualidas.*

12. Paucipotiùs seriò, quàm multi perfunctoriè pœnitentes audiendi: yq̄, cæteris proponendi, qui maximè indigent, aut maioris momenti sunt.

1. Cōfessarius
forti animo
esse debet.



D hanc prudētiam pertinet i. vt Cōfessarius forti animo ad opus tanti momenti exequendum accedat: vitam etiã ipsam Christi imitatione paratus profundere potiùs, quàm officio suo deesse in hac templi Dei repurgatione à peccato: per quod vt per idolum quoddam abominabile polluitur, fitque dæmonis habitatio, in ipfius Dei grauissimam iniuriã, & animæ Christi perfusæ sanguine summam perniciem: neque adeò fidat sibi, etiã post diligentem operam positam in paranda necessaria scientia, vt non præmuniat se oratione antequàm audiat confitentem. Debet igitur per illud Psalm. 50. *Cor mundū crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis*; vel illud, *Veni sancte Spiritus, &c.* aliudve simile, implorare sancti Spiritus assistentiam in tam arduo negotio sic necessariam, vt nisi Deus suã gratiã assistat, nullæ vires, & industriæ humanæ sufficiant ad ipsum fructuosè perficiendum, iuxta Eccles. 7. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* & illud in priori ad Corinth. cap. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Quibus verbis significatur, exteriorem hominis correptionem nihil operari, nisi Dei tamquam excitatoris interioris concursus accedat. Implorare autem debet assistentiam eam, vt necessariam tum sibi, vt intelligitur ex eo quòd Dominus discipulis imponens onus istud audiendi
con

In audienda confessione Pœnitentis. 7

confessiones, Ioah. 20. prius dixerit: *Accipite Spiritum sanctum*; quàm, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: tum etiam confitenti, cuius confessio procedere, imperatîve debet ab interiori contritione: quæ Dei donum est, & Spiritus sancti impulsus: etiam imperfecta ea, quæ dicitur attritio, vt definitum est in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. Confessarius igitur, (prout habet Polancus in directorio)^a accedens ad audiendas confessiones, primùm omnium per orationem eleuata mente ad Deum, debet ab eo humiliter petere gratiam, pœnitentibus quidem, vt verè ad ipsum redeant, sacramentique finem consequantur; sibi verò, vt rectè suo mittere fungatur, nec ob vllam occasionem occurrentem, veritatem deserat, aut ab eo, quod agendum est, desistat; neque sua negligentia impediatur efficaciam sanguinis Christi, ac diuinæ suæ liberalitatis influxum in Pœnitentem, summæque bonitas, & potentia ipsius suppleat defectus instrumenti sui vilis. De qua re videri potest Nauarr. *b* simulq; notari, quanti ea momenti sit ex eo intelligi, quòd si deprauata iudicia in foro externo tantopere reprehendantur, multò magis ea reprehendenda sint in foro interno: vtpote concernente animam, in cuius æterna salute plus innumeris partibus positum est, quàm in omnibus temporalibus bonis.

^a Ca. 2. art. 1.

^b in Enchir. cap. 10. in principio.

Pertinet secundò illud, quod Nauarr. *c* tangit, vt 2. paterna quædam, & spiritualis grauitas in Confessario ipso eluceat; vt aut nihil videatur in vultu, & gestibus, vel motibus corporis; neque audiatur in voce, quod non deceat virum maturum, & qui meminit se locum tenere Dei, à quo sit constitutus Iudex in causa maximi omnium momenti. Susci-

^c in sequ. num. 2.

piat nihilominus Pœnitentem beneuolè, paratus ipsum iuuare, secùmque onus portare; atque adeo dulcedinem in affectione habeat, pietatem in alterius discrimine, discretionem in varietate, prout præscribitur in cap. 1. de pœnit. distinct. 6. §. cognito. & inculcant versus hi, quos idem Nauar. refert ex D. Thoma.

*Confessor dulcis, affabilis, atque suavis,
Prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus.*

Quamquam, vt debet cauere, ne terrorem incutiat ei, quem consolari oportet; ita & ne clementia vtatur erga eum, quem acriter increpare conuenit; sic enim incurreret in peccatum Heli grauissimè reprehensum, seuerissimèque punitum à Deo, 1. Regum cap. 2. Præterea cùm familiaritas nimia pariat contemptum, debet Confessarius se austerum potius, quàm familiarem exhibere in audiendis confessionibus, præsertim fœminarum, vt Polancus d. Cap. 1. art. 4. expressit in Direct. d. & Dominum nostrum exemplo suo docuisse, ex eo intelligitur, quòd Matri sanctissimæ in nuptiis familiariter vini defectum denuntianti, verbis illis satis seueris responderit; *Quid mihi & tibi mulier?* Ioan. 2. quòdque numquam ei à maleuolis exprobrata sit amicitia mulierum, sicut amicitia peccatorum, & Publicanorum: quod sapè illi minimè omisissent, si in ea florenti ætate notassent non vxoratum familiariter cum mulieribus tractantem, sicut cum Publicanis, & peccatoribus. Adde quòd discipuli ipsius, Ioan. 4. *mirati sint, quòd cum muliere loqueretur*, tamquam de re scilicet inusitata. Cæterùm debet obsecrare potius, quàm asperè increpare: senes quidem tamquam patres vel matres, iuuenes verò tamquam fratres

aut

aut sorores in omni castitate.

Pertinet tertio quod Polancus etiam expressit: *e* in sequen. cap. 2. art. 1. vt Confessarius renouet desiderium salutis animarum, & diuini honoris: atque in toto confessionis decursu charitatem exerceat in Pœnitentem: ex Confessarius desiderium salutis animarum in se renouet. qua principaliter acceptare debet officium audiendi confessiones: non item ob lucrum, vel fauorem vel curiositatem principaliter (in quo peccaret mortaliter ex Nauarro) *f* multò verò minus ob carnalem voluptatem, in quo mortaliter peccaret, etiamsi minus principaliter tantùm, eam turpitudinem de se mortalem intenderet. *f* in fine citati cap. 10.

Excitet igitur, & retineat compassionis affectum erga peccatorem, longè deterius habentem, eo, qui Lucæ 10. in latrones incidisse dicitur: oculisq; mentis intueatur in eo Dei imaginem, quæ perfusa Christi sanguine restituta fuerit diuinæ gratiæ, ac formosissima effecta, sed per commissum peccatum mortale, turpissima reddita, iuxta illud Ezechielis 16. *Abominabilem fecisti decorem tuum.* Ad illam autem pristino nitore restituendam, consideret à Christo Domino misericorditer institutum esse singulare hoc remedium, per quod peccata delentur, & ex filiis tenebrarum fiunt filij lucis; solutis laqueis quibus à diabolo captiui tenebantur ad ipsius voluntatem, iuxta Apostolum in posteriori ad Timoth. cap. 2. in fine. Meminerit quoque assiduè Confessarius, quæ sint in hoc negotio suæ partes; seipsum reputando, tum vt stabularium illum Euangelicum, ad quem misericordissimus Samaritanus impositum iumento saucium semiuuium adduxerit Luc. 10. curandum, cum pollicitatione compensationis omnium, quæ supererogauerit: tum etiam vt spe-

culatorem illum datum domui Israel, ad quem diriguntur illa verba Ezech. 3. *Si dicere me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, ut auertatur a sua via impia, & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit auersus ab impietate sua, & a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem liberauisti animam tuam.* Quibus considerationibus adhuc roborabitur Confessarius ipse ad sustinendas patienter varias molestias, & tædia, quæ contingunt in audiendis confessionibus; partim ob horrenda & sceleratissima peccata, quæ narrantur, partim ob graues, & intricatos casus, qui occurrunt, partim ob periculum errandi in re tanti momenti, partim ob ingeniorum, quæ tractantur, varietatem & duritiem, necnon ob exiguam præparationem; cum qua non raro peccatores ad confessionem faciendam accedunt, qua in re defectum supplere spectat ad Confessarij munus.

4. Pertinet quartò quod post Nauarrum & Polan-
 g lib. 1. deci- cum proponit Iacobus à Graphiis, g vt Cōfessarius
 sionum au- aduertat an Pœnitens (quem sibi subiectum co-
 rearum cap. gnoscat oportet) decenter se habeat : nempe an
 24. num. 2. utrumque genu flectat, an caput aperiat, an ita se
 componat, ut non Sacerdotis faciem, sed Crucifixi
 imaginem intueri velle videatur. Quæ omnia si vi-
 derit ipsum sua sponte facere, laudet Deum; sin se-
 cus, monere debet ut faciat, utque secum reputet se
 non coram homine peccatore, sed coram Deo al-
 tissimo constitutum esse, à quo debeat cum summa
 humilitate, & reuerentia, veniam peccatorum suo-
 rum

tum postulare; tum (si tam rudis sit vt nesciat) doceat illum se signo crucis munire, dicendo, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: cum eoque dicat confessionem generalem vsque ad verba *Mea culpa*. Quamquam postremum istud non est necessarium, vt Nauar. monet. *h*

Pertinet quintò *i* vt si Pœnitens nõ incipiat statim confiteri, ipsum admoneat vt omnia sua peccata, quorum memoriam habet, & de quibus conscientia magis ipsum remordet, quæque sibi in extremis constituto, à dæmone obiici coram cœlesti iudice maximè timeret, statim exponat; culpam imputando sibi soli, aut certè potiùs & principaliùs, quàm cœlo, vel dæmoni, vel carni, vel sodalibus, vel naturali complexionì; circumstatiâsque necessarias ita declaret, vt non stet per ipsum quo minus à confessario, perinde atque à semetipso intelligatur animæ suæ status.

Pertinet sextò *k* vt nec qui confitetur faciem Confessarij, nec Cōfessarius faciem confitentis intueatur, (præcipuè in confessionibus mulierum) sed Pœnitente constituto ad latus, si nihil fuerit intermedium, quod præbendo ei aurem aspectum mutuum prohibeat, manu ab eodem latere apposita maxilla excludatur faciei aspectus. Sic autem exterius constitutus Confessarius, interius mente ad Deum eleuata tacitè oret, vt diuina maiestas dignetur pœnitenti præstare auxilium ad verè cognoscenda & cum vera contritione confitenda peccata sua. Quæ mentis eleuatio potest, & debet breuiter fieri; vt nihil obsit attentioni necessariæ ad debitè audiendam confessionem. Oret pariter & pro seipso, si ex tali auditione tentationem aliquam in se sentiat,

h in cit. cap. 10. num. 5.
i Hoc Nauarrus ibidè subiungit. Confitens sua ipse peccata confiteatur.

k Hoc quoque habet Polancus in cit. art. 4.

Mentis eleuatio in confessione facienda.

tiat, medicos corporum imitatus, qui visitantes infectum morbo contagioso, solent habere aliquid odoriferum, per quod à contagione se protegi, defendique posse sperant; de quo antidoto ad conseruationem sui nihil sollicitis, frequenter contingit, vt spiritualis pestilentia, quam in aliis curare volūt, adhærescat ipsis: quasi dæmonium habente infiliante in eos, & ita inualecente contra eos, vt nudi, & vulnerati relinquuntur, ad modum filiorum Scæuæ Iudæi, de quibus Actorum 19.

7.
 l in cit. cap.
 num. 6.
 Cōfessarius
 nō debet se
 commoue-
 re, dum gra-
 uia audit
 peccata.

Pertinet septimò quod ex communi omnium sententia habet Nauarrus, l vt cū aliquod graue, turpēve peccatum in cōfessione declarari Confessarius audierit, nulla signa admirationis, abominationis, aut pauoris ostendat siue spuendo, siue se cruce signando, aut seipsum aliqua ratione commouendo, ne inde pudore, aut alia perturbatione affectus Pœnitēs, desistat à confessione saltem plenè facienda. Quin potius, ac si nihil audiret, dissimulet vsque ad finem confessionis, & tunc cū vult ei pœnitentiam imponere, grauitatem, & sceditatem peccatorum, quibus se contaminauit, exponat; semper memor tum præsentiæ Dei cui cooperatur, vt cum timore sanctè officium suum peragat; tum etiam humilitatis Christianæ, vt quàm ex se, ac seclusis Dei donis (de quibus tamquam alienis bonis malè impensis redditurus est rationem) vilis sit expendens, se aliis minimè præferat.

8.
 m ibid.
 Confitens
 audiendus

Pertinet octauò quod idem auctor addit m, vt si Pœnitēs per seipsum peccata sua recenscat, Confessarius patiatur ipsum pro sua voluntate exponere, quæ meminit ac cōfiteri statuit: quantumcum-
 que

que rudi, crassaque Minerua, & sine ordine ea exponat. Quia enim eo tempore quasi parturiens laborat, agendum est cum illo, sicut cum fœmina parturiente agi solet: cum qua nihil attentatur, quo vel turbetur, vel impediri possit partus. Accedit, quòd sic, confessio magis spontanea esse censebitur, ac faciliùs cognoscetur quibus peccatis ille magis implicitus extiterit, & quæ magis sint interrogando attingenda. Quamquam si Confessarius ipse aliqua non satis intellexerit, præsertim de mortalibus, curare debet replicanda, vt meliùs intelligat; sique pœnitens in aliquo delinqueret contra necessarias cõditiones confessionis, benignè ac mansuetè reprehendendus est, & docendus de eo, quod ipsum seruare, aut cauere oportet: vt si verborum inuolucris, aut nimia copiâ vtatur, suauiter moneri potest nudam, ac simplicem esse debere confessionem: utpote institutam ad aperiendum Confessori candidè statum propriæ animæ. Item si personam aliquam velit nominare; aut si dicat, non occido, nõ iuro, nulli malè volo, suauiter quoque monendus est, ab istis abstinendum esse in confessione: cuius ratio, naturaque postulat, vt sit priorum tantum peccatorum, non alienorum; sitque accusatio sui, non autem excusatio, aut commendatio. Monendus similiter est, si superflua dicat, ea quæ ad rem non pertinent, non esse commemoranda in confessione, & sic de aliis, si quæ occurrant, quorum admonitio non impediat sed potiùs dirigat cursum confitentis, prout monet Polancus in Directorio. ^{9.}

Pertinet nonò quòd quia prudentia & industria Confessarij eò spectat, vt quoad fieri potest supple-

etiamsi malè peccata exponat.

cap. 2. art. 2. sub inuicem.

do

o in eod. ca.
10. num. 7.
sub initiū.

p confessio
1. q. 17.

do defectus Pœnitentium, hos disponat ad confe-
quendum Sacramenti Pœnitentiæ finem : si videat
Pœnitentem suum velle sua peccata occultare, vel
probabiliter credat ipsum obliuisci illorum, aut
existimare mortalia non esse, quæ sunt; cautè (inquit
Nauarrus) & prudenter eundem ad peccata sua
dicenda pertrahat, admonèatque esse in confes-
sione exprimenda peccata, etiam ea de quibus du-
bitamus, an ea commiserimus, aut an peccata sint
mortalia, vel venialia, exprimendo quòd dubite-
mus, nec simus certi; quòd si recordemur nos mor-
taliter deliquisse, sed in quo deliquerimus, ignore-
mus, confitendum esse quòd mortaliter deliquerim-
us, etiam si ignoremus, in quo. Atque hæc si Con-
fessarius præstare omittat, censebitur absoluerè in-
dignū, vt ex Archidiacono admonet Syluius. p Ra-
tio autem qua Cōfessarius debet aut memoria lap-
sum monere, aut ignarum instruere, satis intelligen-
tur ex pōst dicendis in cap. 4.

10. Modus verò pertrahendi Pœnitētem ad dicen-
dum sua peccata, esse potest, tum per interrogatio-
nes, de quibus in sequent. cap. 3. tum per cohorta-
tiones, quas ratio, aut interior Spiritus sancti vnctio
suggesserit ad rem accommodatas, vt verbi gratia
proponendo ei suauiter, quòd agat cum Deo nihil
ignorante; & ad eam, quam expèctat ab ipso remis-
sionem peccatorum, exigens eorundem peccato-
rum integram confessionem, per quam seipsum ta-
lem omninò coram sacerdote linguâ manifestet
exteriùs, qualem se in corde agnoscit interiùs: ita vt
reticendo de industria, aliquod mortale, quo suam
conscientiam nouit grauari, se nouo scelere conta-
minet, ac instar Iudæ proditoris dicendo, *Peccani,*
laqueum

Matth. 24.

eb

laqueum collo inferat, quo spiritualiter suffocetur. Addendo præterea, persuasionem illam reticendi, non nisi à diabolo prouenire posse, nobis tam pròptum, & efficax aduersus æternam mortem remedium inuidente. Neque enim aliunde prouenire posse videtur, quòd homo Christianus se à confitendo tantopere auersum sentiat: quandoquidem ei sua fides ostendit, tum honestissimum opus esse illud, quo à sordibus mundatur anima: tum iustissimum, quo redditur Deo honor ablati: tum vtilissimum, quo patefit in cœlum aditus. Ad quod confirmandum facit quòd tam audax fuerit in peccando, cum tamen eadem fides ostendat id esse; tum turpissimum, utpote quo fœdatur anima; tum iniustissimum, quo honor Deo debitus in dæmonem transfertur; tum etiam perniciosissimum, quo ipsa etiam æterna miseria incurritur. Itaque nisi ipse dæmoni se mancipatum velit, & illius rabiem per omnem æternitatem in se experiri, det locum clauibus, quibus cœlum sibi clausum referetur, soluunturque vincula, quibus tenetur captiuus à diabolo ad ipsius voluntatem: misereatur animæ suæ, qua post Deum nihil habere potest carius: aduertat quòd eam coniecerit in statum dæmoniaci muti à Domino sanati Matth. 9. & Lucæ 11. ut indicio est, quòd ex communi doctorum sententiâ, idem dæmoniacus peccato mortali infectum mysticè designet, ac referat tamquam pictura, & vmbra quædam; & ideo si horribile sit, & miserabile à diabolo hominem possideri corpore, multò magis esse possideri anima. Forti proinde animo imitetur Dauidè tantum regem pœnitentem, quem imitatus est peccantē; ut cum lætificauerit Angelos, iuxta illud Luc. 15.

Gaudium

A diabolo prouenit, quòd homo à confessione abhorreat.

Peccator per dæmoniacum surdum & mutum representatus.

Gaudium est in caelis super vno peccatore penitentiam agente; & ipse gaudens in Domino dicat cum eodē Dauide Psal. 31. *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Addere etiam poterit Confessarius, nihil est quod peccata tua verearis dicere, quia quodcumque confessus fueris, ita reticere debeo, vt mille mortes potius oppetere debeā, quam vel vnicum ex eis reuelare audeam. Item, vt sibi persuadeat, se confiteri Christo, scienti omnia: qui & paratus est ipsum suscipere, non minore benignitate (iuxta illud Psalm. 102. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus eum, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum*) quam filium suum prodigum clemens pater Lucae 15. recepit, dummodo ipse sicut idem prodigus, peniteat ex toto corde, atque Christo (sacerdote audiente, quem in hoc negotio suum vicarium constituit) cum vero emendationis proposito, omnia peccata sua confiteatur. Debet tamen Confessarius cauere, ne nimius ac concionabundus sit in his: vna enim de conditionibus confessionis est breuitas, ab ea excludēs quæ superflua sunt, tam ex parte Confessarij, quam ex parte Pœnitentis. Vnde ille & se & hunc à talibus cohibere debet.

Confessarius in exhortationibus breuis esse debet.

II. Pertinet decimò ad propositam prudentiam, illud quod habet Nauarrus 9, vt Cōfessarius in toto confessionis decursu attentè consideret an Pœnitens aliquas præcedentes confessiones suas iterare teneatur propter aliquam causam: quæ potest esse, ex parte quidem Confessarij, defectus aut potestatis, aut scientiæ sufficientis, iuxta dicenda in sequent.

9 in cit. cap. 10. num. 3. versu 5.

quen. cap. 22. aut etiam intentionis in absoluendo, vel attentionis in audiendo Pœnitente. Ex parte eiusdem Pœnitentis verò, defectus iudicij, aut notitiæ necessariorum ad salutem, aut summæ detestationis peccatorum, aut firmi propositi emendationis, aut sufficientis examinis conscientiæ, aut integritatis confessionis: si que inuenerit teneri ad iterationem, moneat ad id non aduertentem, quòd debeat iterum examinare conscientiam suam; atque cum eo agat sicut postea dicitur r esse agendum cum illo qui non discussit sufficienter conscientiam.

Defectus Confessionis ob quos illa est iteranda.

r in cap. 3. Sect. 1. nu. 12.

Pertinet vndecimò vt Confessarius velit potius duos audire benè, quàm viginti perfunctoriè: quandoquidem hoc, quàm illud melius est, vt bene ait Caietanus in verbo Confessor s. Pertinet postremò quod monet Polácus in Directorio r, vt cum nequit Confessarius audire omnes, libentiùs eos audiat, qui plus indigent, & quorum spiritualis profectus redundat ad maiorem Dei gloriam, & maius commune bonum.

s §. de prudentia Confessarij. r Cap. 1. in fine art. 4. Prestat duos bene audire quàm viginti perfunctoriè.

CAPVT II.

De prudentia Confessarij in interrogando Pœnitente.

SUMMARIUM.

- 1. Modus, quo spectat ad Confessarij officium, Pœnitentem interrogare. 2. De peccato mortali, quod

B